

162
43

מחמדי

בער

MUHAMMEDISMUS

In

ANGELIS
EUPHRATÆIS

S. JOHANNI

Apocal. IX, 13. ad 21.

premonstratus,

Cujus brevem in antecessum Synopsin exhibet,

&

DIVINA GRATIA ADSPIRANTE

CONSENSU

VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ

PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO

DN. JOH. CONRADO DANN-

HA WERO, Doct. Theologo, Professore, Præside

Eccles. Convent. Capituli Thom. Decano,

Patrono & Præceptore suo Optimo,

pro

Juribus & privilegiis supremi in Theologia Gradus

legitimè obtinendis,

Solenni Disputatione examinandam sistet

D. 15. Jun. M. DC. LXIV. horis ante- & pomerid.

In Auditorio Majori

M. PHILIPPUS JACOBUS SPENERUS,

Liber Ecclesiastes Argentorat.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFII.

AMGELT
BUPHTATIS

ON COMPTON BAIN
THEOLOGICAL

THEOLOGICAL

⦿:(3):⦿



Δώη ἡμῖν ὁ Κύριος σύνεσιν ἐν πάσιν.

PROOEMIUM.



Væ Prophetiarum,

sors ab omni seculo fuit, ut impletæ vel ultimo complemento viciniores, quæ antea obscura caligine circumfusæ crucem tantum legentibus fixisse videri poterant, clariori luce radiare incipiant, in Danielicis & Joannis vaticiniis evidenter hucusquæ apparuit. Subindè nimirum pluribus elapsis sæculis posteriores interpretes, non parùm feliciores decessoribus suis, ea viderunt, in quibus antiquos cœcutiisse haud adeò, si intuearis tempora, mireris. Et tantò magis nostra ætas, quæ adventui Domini desideratissimo post reliquas longè vicinior, Apocalypsi sanctissimæ intelligendæ aptior credenda, quantò pauciora superesse existimamus in divino libro, quæ impleri saltem non cœperint: Ut, quæ ratio est in Libri capite I, 3. de tempore propinquo, seculorum lapsu semper validior militare perrexerit, nunc autem validissima, tantò benigniori invitatione ad indaginem

A 2

sacram

sacram pios Scripturæ lectores alliciat. Id ipsum est, quod spem præbet, non mihi quoque vitio iri verum, quòd post tot summos Theologos novitius in arduo argumento periculum virium primum facere, & Præceptorum svasu aliquam cap. IX. Apocalyptici pericopen à vers. 13. ad 21. perlustrandam suscipere sim ausus. Crevit sub manu opus, & cum paucas pagellas, quas legum observantia publicæ Disputationi exponi vult, destinasset, intra eum modum, quem instituti consuetudo & sumptuum ratio præscripserunt, difficulter contineri tractatio potuit; si modò interpretum potiorum meditationes non insuper haberi, inprimis verò si sub examen revocari debuerent. Dum autem prolixiorum argumenti hujus exegetin tardiores operæ excudunt, in antecessum brevem synopsis, seu sciagraphiam malis, in qua sine omni apparatu, potiùs quid tractandum in singulis indicare, quàm exsequi necesse sit, exhibere, & consensu Venerandæ & Ampliss. Facultatis Theologicæ solenni συζήσεως in ea tuenda me sistere visum est. Allegationes autorum raræ erunt seu nullæ potiùs. Alibi ea diligentius consignata; hinc non nisi summa tanquam indicis loco sectamur capita. Metæ illæ sint, quas & Præceptores sibi posuere, ut hinc analogia fidei versetur ante oculos, illinc modestia in non præcipitandis decisionibus: Nec facilè in ullo sine autoritate unius alteriusve è nostris nobis aliquid permittemus. Ducat nos Spiritus veritatis in omnem veritatem, ut eam inveniamus, inventamquæ exosculemur. Amen. Cæterùm instituti memores nec huc ipsum authenticum textum, in exegesi repetendum, nec Versiones exscribimus; etiamsi in his aliqua causæ servientia notari

qvi-

⦿: (5): ⦿

qvirent. Tractationis autem *partes tres* erunt, ut videlicet I. *prophetiae sensum*, quantum fieri potest, reddamus liquidum, ad quod singularum vocum necessaria erit tractatio: Altera cura, ut in *historia prophetiae* quæramus *complementum vel applicationem*; quibus præstitis III. *καρποφορία* lustranda, & indice digito fontes usuum demonstrandi erunt.

I.

EXEGESIS TEXTUS.

§. I.

QUod in reliquis tubis B. Joanni familiare fuit, ut ipso clangore præmemorato effectum subderet; Id hîc quoque servat, adjecto demùm eventu, qui consilium divinum haud parum frustratus sit. Illæ partes nostræ *ἑξοχῆς*.

§. 2. *Prima pars* post connexionem clangentis exhibet personam, ipsumque clangorem intimatorium. *καὶ connexionis* officio fungitur. Aliqui nec malè per *postea* vertunt. De eo dubitari potest, temporis & rerum, an narrationis & visionis Verf. 13. ordo tantùm indicetur eâ particulâ, & versu præced. ex quo sensus pendet. Certè non pauci primum væ ante secundi initium omninò præteriisse ex eo arguunt; alii præcipuum ardorem defæviisse. Neutrum sequi arbitror, sed textui sufficere, si unius explicatione præmissa ad alterum repræsentandum, transitus fieri dicatur. *Ὁ ἀγγελος*. Vocis significatio formalis & abstracta solum officium missionis, vel illum notat, per quem quis aliquid efficit: Materiales plurimæ. Increatus angelus, Filius DEI, (nullibi Pater vel Spiritus Sanctus) sæpè hoc nomine legitur. In creatis *ἑξοχικῶς* substantiæ spirituales, mentes cœlestes, ita nuncupantur. Ad homines

A 3

trans-

transfertur vox, voluntatis divinæ ministros; imprimis verò præcones. Uti verò lapsis quoque dæmonibus nomen angelorum, etiam sine adjecto, 1. Cor. VI, 3. saluum mansit: Ita etiam Pseudoprophetis, quod ex officii, quo abutuntur, ratione competebat, idem negari nequit. Conf. Apoc. IX, 11. Plagas ipsas ex prosopopæia notari aliquando nomine angelorum, non puto confici ex Psal. CIV, 4. LXXVIII, 49. Qualis verò hic angelus intelligendus, ex consideratione Apoc. cap. VIII, 2. petendum; E septem enim illis unus est noster. Nec tamen res in expedito: Aliis intelliguntur angeli boni, ministri iudiciorum divinorum, aliis mali: Nonnullis plagarum præcones, Ecclesiæ doctores sive universi sive aliqui, vel tota Ecclesia: Reliquis hæresiarchæ sunt, aut alii in Ecclesia turbones. Nullam harum sententiarum analogiæ fidei adverteri puto, sed suis niti conjecturis: Malim tamen ultimis hæc accedere: Ita enim describuntur angeli, ut tranquillitatis turbatores & noxæ effectores notentur, non prædictores. Uti noster angelos maleficos solvit: Ita cap. VIII, 13. Apoc. væ ingeminatur ἐκ τῶν Φωνῶν. Conf. Matth. XVIII, 7. Nequæ verò plagæ à prædictione. Nec firmiter concludunt oppositæ rationes (1) ab articulo τῆς ἐπιείκῃς, Apoc. VIII, 2. cum circa articulos usus tam varius. (2) A statione coram DEO: quæ & malis competit, 1. Reg. XXII, 21. Job. I, 6. (3) A datione tubarum. Conf. cap. VIII, 2. Apoc. Undè, quæ de septenario præcipuorum Angelorum, qui DEO adstant, numero ex loco eo concludunt aliqui, firma non arbitror. Alius Tob. XII, 15. uti de sensu authoris nos certos reddit: ita rei ipsius fidem facere nequit Raphael ille Scripturæ divinæ testimonio destitutus, non magis quàm alii, qui angelica protulere nomina, illi ignorata; cum non nisi duo, aut fortè unicum, Gabrielis creati angeli nomen nobis consignaverit. Ὁ ἐκ τῆς. Ordinis nomen est, adeoque post quinti clangorem ipse cecinit: Non necessariò post plagam illius finitam. Sextum seculum eodem nomine innui, vanum arbitror. Ἐπίλπισε. Inter varia tubæ officia, cum convocationi multitudinis, festivitati,

ⲙⲁⲓⲥ (7) : ⲙⲟⲩ

vitati, bellicis expeditionibus, periculorum præmonitioni, servierit, seditionis & turbarum significationem huc spe-
re puto. Conf. 2. Sam. XV, 10. XX, 1. Quod latinus, ca-
ner tuba, dicit, ridicula Φρόσεως ignorantia ad terrorem,
amore & hilaritate temperatum trahitur.

§. 3. Quæ ad clangorem secuta sint, sequuntur, *jussio-
ne, & executione* definita. De illa primùm. *Perceptionis mo-
dum* innuit: Καὶ ἤκουσιν. Nec enim oculorum solum, sed &
aurium in ἐκστάσει propheticis usus. *Res percepta*: Φωνὴν
μίαν. Est haud dubiè DEI sceleribus irati, & ultionem ma-
turantis. Uti frequenter in hoc Libro vox sine visa specie au-
dita DEI est. Utrum verò eâ solum divinæ providentiæ
decretum ex visionis decoro repræsentatum, an in Ecclesia,
doctorum, divina autoritate mundo pœnas denunciantium,
minas, & afflictorum, ultionem poscentium, gemitus (Conf.
Apoc. VI, 9. 10.) simul notari dicamus, ad rei summam pa-
rum interest. Ad posterius tamen inclinarem, quod ἐμφασίς
vocis μίαν svadet. q. d. Conclamatum una voce ex omni Ec-
clesiæ angulo. *Vocis origo* additur. Ἐκ τῶν τριῶν κερῶν κερῶν
τῆς θυσιᾶς τῆς χρυσῆς (frustrà Hebraismus fingitur, tan-
quam χρυσῆ substantivum esset) τῆς ἐνώπιον τῆς θεῆς. Ad
altare Thymiamatis respicitur, de quo Exod. XXX, 1. quod &
aurum, quò obductum est, nam holocausti altare æneum,
Exod. XXX, 3. & situs Exod. XXX, 6. evincunt. Tum colla-
tio Apoc. VIII, 3. Nec etymon repugnat. Θυσία enim est,
quicquid offertur DEO. Indè etiam Hebræis קַרְנָה insu-
per habita significatione propria verbi קַרְנָה. *Cornuum* quo-
que Exod. XXX, 2. diserta mentio. De typi significatione
dissentiant. Christum, DEI justitiam, Religionem, Eccle-
siam, mundum, in quo rationales DEO hostiæ offerun-
tur, significari perhibent, affini tamen sensu. Si unus eli-
gendus, Ecclesiæ symbolon altare hoc videtur, adeoque Chri-
stus mysticus. Cornua Evangelistis quadrant, vel universis
omninò doctoribus, in quibus robur regni Christi. Alii in-
terpretantur divinas virtutes. Quòd coram DEO esse dici-
tur,

tur, non solum situm respicit veteris tabernaculi, sed huc
inconvenienter ad DEI curam & beneplacitum refertur.
Verf. 14. λέγουσαν. Ita divina voluntas exprimitur, quæ nullam justitiæ
sue aut bonitatis læsione, cum frenos malitiæ aliorum sancta
directione & promissione laxat, dixisse, tanquam mandasset,
perhibetur. Conf. 2. Sam. XVI, 10. τῷ ἐκ]ω Ἀγγέλω, ὅς
εἶχε τὴν σάλπιγγα. Tenebat non tanquam ad clangendum
paratus, ut Apoc. VIII, 6. Sed jam peracto officio. Alia
lectio ὁ ἔχων: Insveta phrasi, quæ tubæ momentum notari,
nonnemo vult. Sed meliori suppetenti lectione non illa ne-
cessitas. Si verò omninò ita scriptum sit, tam non exindè,
tanquam solacismo commisso, Apocalypseos authoritas in-
dubium revocari potest, quàm non ex aliis, Apoc. I, 8. II, 26.
VIII, 8. ubi sermo ad Hebraismum inflexus à communi for-
ma recedens, figuram excusatur. Jam ipsum *jussi argumentum.*
ἄσπυ, *Solve.* Ut soluti & solvendi prædicentur, sensum vocis
illi constituunt, qui angelos bonos esse volunt. Rectius effe-
ctivè vox accipi videtur, quòd DEUS permittat, ut ipso a-
ctu angelos illos, antea compedibus vinctos, solvat funestus
tubicen. Conf. Judæ. verf. 6. 2. Pet. II, 4. Quæ solutionis natura,
ligatio ostendit; Hæc verò impedimentum erat, quò minus
lubidini sue in cædes ardentissimi satisfacere possent: (Nol-
lem ligationem hanc ad tempus passionis & adventus Chri-
sti astringere.) Est ergò solutio remotio illius obstaculi, quod
coërcebat sanguinis sitientissimos, ut in posterum suis animis
morem gerere permitterentur. Huc ergò referenda, quæcun-
que per se vel per accidens angelorum illorum refrenabant,
iras. Videlicet potentia imperii ipsis adversi, situs Euphratei
commoditas, &c. Quæ postea aut in contrarium versa, aut
aliis commutata. Omninò autem à scopo aberrant, qui so-
lutionem ad clavem solventem Ecclesiæ commissum referunt.
Τὰς πένταρχας (sunt qui universitatem intelligunt; malim in
ipso numero subsistere,) Ἀγγέλους. Hos malos esse oportet,
seu spiritus velis seu nostri generis & homines, quod vel san-
guinolentia eorum docere potest, quia in cædes, non sine
ἀδικία

ἀδικία, vers. 19. ardent. Nec vinc̄tos leges facillè angelos bonos, quos à DEO cohiberi necesse non est, cuius voluntati obsecundare nunquam non paratissimi sunt. Verùm an homines, an Dæmones volumus? Hos saltem exclusos nollem, quorum ingenium in nocumenta pronum constat. Nec facillè ullibi turbæ, quin hi turbones pars maxima earum sint, quos non videmus. Arbitror autem Angelos esse ethnarchas, ad exemplum illorum, Dan X, 13. 20. 21. cùm Diabolus etiam in regno suo certum regimen & dispositionem teneat. Hisce ipsas nationes non absurdè addere possumus, uti cum duce copias comprehendere non insolens. Gentes autem Euphrati vicinas esse oportet, seu origo prima juxta fluvium, seu quæ aliquando juxta eum confedere. An verò iidem sint, qui Apoc. VII, 1. notantur, dubium est. In negativam inclinarem. Quòd illi in quatuor angulis terræ, hi topici: Illis cura prima & una Evangelii sufflaminatio, his corporalis persecutio. Si verò hæreseon quatuor generibus utrumque locum applicaveris, quæ in eandem demùm Alcorani teterrimam mistionem influxerint, haud adeò pugnarem. Δεδεμένους. Aliquos angelos reverà certo loco nonnunquam à DEO tanquam carcere claudi, non tam ex Tob. VIII, 3. quam aliundè è Scriptura concedi posse non dubito, modò fabulæ Judaicæ & aliæ absint. Hic verò *ligatione* coercionem & repressionem notari, modò vidimus. Quæ uti primò DEO competit, ita in ea exsequenda hominum operâ utitur. Vinciuntur mali, quorum furorem bonorum cura coercet, aut licet consilii divini ignara alia æquè malorum caterva: Nec enim mirum, alterius nebulonis timore alterum sibi à maleficiis temperare. Ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Ἐυφράτη. *Euphratem* propriè intelligere nihil vetat. Quæ etymon & Geographiam spectant, suo servamus loco. Hic sufficit nosse, quòd ex Armenia prolapsus hinc Mesopotamiam, indè Syriam, Arabiam, Babyloniam lambit, donec in mare Persicum evolvetur. *Magnus* autem dicitur non à re solùm, sed ut ab aliis συνανύμοις distingvatur. Epitheton consvetum Gen. XV, 18. Jos. I, 4. Undè & ἐξοχικῶς Ἰσραὴλ Deut. XI, 24. 2. Paralip. IX, 26. Huc facit, quod olim Judææ, postea Romani Imperii fatalis terminus,

B q. d.

q. d. non è terris Ecclesiæ hostem erupturum, qualis olim Philistæorum natio, sed exteros impressionem facturos, instar bellorum, quibus Syri, Assyrii & Babylonii vexarunt Israelitarum terram, & quidem in provincias, tum Joannis tempore Romano Imperio subjectas. Cæterum situs commodissimus in medio Orbis habitabilis nostri, ut sicuti quondam postdiluvianæ coloniae commodioris migrationis & dispersionis causa confedere ibi, Genes. XI. ita & hi imperium quaque versus dilatare possent. Ad quam rem vicina maria Caspium, Euxinum, Mediterraneum, Persicus sinus non parum conferunt. Ita cum proprius sensus nulla absurditate laboret, frustra ad tropos, quibus Euphrates Romanum Imperium, potentiam & fecunditatem seculi, successuum felicitatem, S. Biblia, hierarchiam papalem, persecutorum multitudinem, malignorum hominum corda, & quid non, designare perhibetur, descendere duco necesse. De loco Apocal. XVI, 12. aliàs: nequè pari passu ambulant uterque. Quòd verò dicitur Euphratis mentio fieri, quia inde à captivis Judæis processurus sit Antichristus, frivolum est.

§. 4. Dicitum factum: ita *Executio* jussionem hinc excipit. *Verf. 15. Καί, Psal. XXXIII, 9.* Præterea copulativa pro illativa. *Ελεύθησαν.* Modò suprâ dictò, ut divina permissione, sine qua nihil possent, laxarentur frena furori, non ut sine impedimento quidlibet agerent, sed ut tantum possent, quantum DEUS, qui terminos etiam malitiæ posuit, concessurus erat. *Οι πένταρες ἄγγελοι.* Non veritat, ut dicamus, cum mora esse solutos, unum post alium; Saltem expeditiorem libertatem dentis compedibus aliis maturiùs obtigisse. Conf. cap. VIII, 6. XVI, 1. Apoc.

§. 5. Jam exsolutos describit à *sine* vel *crudeli intentione* & exercitûs horrenda specie. Illa præmittitur. *Ἡτοιμασμένοι.* Non passivè, sed neutraliter aut hithpaelicè. Conf. Act. XIII, 48. Rom. X, 3. XIII, 2. Parati sua indole effera, quam feritatem subindè crudele exercitium auget. Inhiant occasioni, & si eam quoque expectant, non neunt moras. Nec tamen refugiam, paratos quoque dici divinitus, eo sensu, quò *ἔτοιμάζειν* dicitur, qui facit, ut res in promptu sit. 2. Cor. X, 6. Eph. VI, 15. Act. XXIII, 23. & c.

☞:(II):☞

23 &c. Conf. Esa. X, 5. cum Ezech. XXI, 9. Nempè flagellum DEI semper ad manum est, multæ præparationis non indigum. *Εἰς τὴν ὥραν, καὶ* (aliqu. ἐξηγητικῶς, nempè diem, &c. ut hora tempus oportunum designet,) *ἡμέραν καὶ μῆνα καὶ ἑνιαυτὸν.* Complutenses cumq̄ve iis alii omittunt *Diem*. Arbitror vitiosè id fieri: multò minùs mysterium indè ducerem cum aliquo. Ex voce *ὥραν*, collat. cum cap. XIV, 7. 15. XVII, 12. XVIII, 8. 10. infirma collectio, quòd de iudicio meretricis agatur. Descriptionem gradatim ascendentem agnosco temporis, hominum intuitu indeterminati. q. d. sine ulla temporis differentia vacabunt cædibus promiscuis, ita verò, ut expeditiones modò breviores, modò longiores sint: Dicto tamen citiùs impressiones faciant inopinatas. Qui numeros mysticos exsculpunt, frustrà videntur hîc esse diligentes. Ut enim diem pro anno poni non nego: ita reliquorum etiam proportionem æq̄ve intendi, probatione indigeret. Alii 3½. annos, Antichristi illius, nescio cuius, fatalem durationem; alii tribus prioribus 600. annos; ultimo tempus indefinitum; nonnulli 395. alii 1076. nonnemo 1011. (cujus *σοχασμὸν* minùs probabilem dies magistra jam convicit,) attribuunt. Sed in illo subsistendum videtur. *ἵνα ἀποκλείνωσι.* Hîc *finis*: Frustrà trajicitur, ut cohareat cum *ἐλύθησαν*, cum proximæ voci quadret. Itaque eorum, qui ad angelos bonos referunt, suspicio de illis, post Domini nativitatem liberius cum nostro genere conversantibus, aliena est. Cæterùm *Mortis* species omnes complecti permittit vocis generalitas. Præcipua tamen & voci huic familiaris mors corporis violenta: Nam qui non occiduntur, dicuntur non egisse pœnitentiam; eo ipso etiam in spirituali morte fuisse agnoscendi. Est ergo plaga hæc, non tam primariò animæ, sed corporis perniciem inferens; quarum illa tamen haud quaquam exclusa. *Τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, scil. μέγ.* Qua ratione omnes reprobi in tertiam partem humani generis connumerari possint, sive ob Chamum, sive ob alias divisiones, cura non necessaria est. Numerus exprimitur magnus, qui ad tertiam partem ascendat. Nondum tamen tanta *πανολεθρία*, quanta illa 2. Sam. VIII, 2. 1. Reg. XI, 15. 16. Sed qualis esse solet clades ab iis inflicta, qui,

B 2

cum

cum prima ira eos absumpserit, à quibus timeri poterat, fervare aliquod dominium devictarum gentium cogitant. Sunt autem subjecti habitatores terræ, Apoc. VIII. vers. ult. Terrenis affixi animi, etiamsi fidelium nomen gerant. Quales vitâ fuerint, ex moribus eorum, qui superstites memorantur mansisse, colligi potest. Undè hæc plaga in Christianismum corruptum, (cur enim Spiritus Sanctus ab impia gente barbarorum aliis sui similibus illata mala prolixè persequeretur eo libro, qui Ecclesiæ fatis consecratus?) districta intelligi debet, quamvis, quæ epidemico- rum malorum natura esse solet, genuina etiam purioris Ecclesiæ membra simul involvantur: Prorsus ut olim in Israelitico populo, quem impressionibus sæpiùs repetitis Syri, hostes externi, vexarunt, non soli quorum peccata iram ultoris DEI incenderant afflicti, sed piis quoque crux fuit, quæ supplicium illis. Orbem Romanum voce hujus trientis terræ quidam intelligit, conjecturâ non felici.

Vers. 16.

§. 6. *Exercitum* nunc describere satagit, qui numero, quam virtute præstare mavult. Καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν στρατευμάτων τῶν ἰππῶν. Aliis τῶν ἰππῶν, vel per enallagen τῶν ἰππῶν, aliis τῶν ἰππικῶν: sensu non diverso. Conjecturam de dæmonibus, quamvis exercitui adesse dubium esse nequeat, non probo: Multominus quæ bonorum angelorum exercitum hîc quærit, haud sine absurditate. Sed populi notantur, equestri in primis militiæ studiosi. Peditatus verò non excluditur, sed tantò numerosior etiam innuitur, quantò major ejus communiter ad equestratum solet esse proportio. An mentio equestrum ob Hebræum סָרָפָא ad Persarum gentile nomen alludat, non mea est hariolatio, quam suo loco relinqvam. Exercitus autem non unus, nam à condito Orbe simul tantus non fuit, sed plures notantur: nec Apocalyptica tubæ singulæ unius alteriusve tantum describuntur anni periodo. Δύο μυριάδες μυριάδων. Complut. & alii omittunt δύο. Undè injuriâ B Lutherus falsi poscitur, qui vertit, quod in suo invenit codice: tantò excusatius, quòd iidem criminatores ejus numerum finitum pro infinito agnoscunt. Porrò, ut Epiphanius citat, nunquam ita lectum arbitror; sed sententiam respiciens verba in-
super

super habuisse videtur. Haud dubiè alia etiam lectio, quæ octoginta millia præfert, vitiosa est. Numerus hic est maximus, vicies millies dena millia, vel ducenties millena millia, aut, uti nunc loquimur, ducentos millones dicens. Inanis verò subtilitas & tantum non risu digna, cum vicies millies ad malos, dena millia ad bonorum exercitum referunt: cum unius generis evidenter exercitus exhibeatur, cujus mox repræsentanda species: Nulla verò vel levissima probabilitas, aptare bonis partem *ὑποτυπώσεως* istius. καὶ (alii omittunt, alii non sine ἐμφάσει putant per *Nam* vertendum, ut peditatus expressus intelligatur,) ἦκιστα ἢ ἀριθμὸν ἀνθρώπων. Utiqve eorum, de quibus modò locutus: undè nollem de peditatu tantum intelligi, cujus antea non diserta mentio. Certitudo potiùs innuitur, quòd non ex conjectura oculorum fallaci æstimaverit innumerabilem multitudinem, sed audiverit tanquam ex matricula militari numerum recitari. In quo ipso tamen finiendus aliquando hostium horum numerus intelligitur, qui etsi magnus, certus tamen repræsentatur.

§. 7. Ita descriptus à numero exercitus, nunc *armaturam* Ver. 17. fulminantem videre oportet. *Lustrationem* his verbis notat. καὶ (copulativa pro transitiva) ἔπως (Syrus legisse videtur, καὶ ὅτε. Caterum subintellig. ἔχοντες, aut ἔπως dictum pro πωστεις) εἶδον ἐν τῇ ὁρασίᾳ, in ecstasi prophetica, visione symbolica, ænigmatica, Numer. XII, 8. pneumatica, Apoc. IV, 2. (καὶ ὄψιν appellare & aliis contradistingvere solent) τῶν ἵππων. Utiqve spectantes ad hunc exercitum *eqvestrem*, ad στρατεύματα: adeoque non eqvos duplices, alios voluptuarios, alios bellicos. Quod frivolum commentum est ejus, qui dicit, eqvites esse duum generum, alios, quorum tantum auditus numerus, alios, ad quorum contemplationem peculiari mentis intentione opus fuit. Nihil horum in mente Apostolo, & quos vidit eqvos, instrumenta fuisse cædium. καὶ (aliq. copulativa pro declarativa, hoc est, nempe) τῶν καθημένων ἐπὶ ἀνθρώπων. Eqvos & eqvites (ut taceam, qui de præceptis divinis regentibus vitam nostram intelligunt) de hominibus ferè interpretantur, quos diaboli gubernent. Non nego hujus in filiis ἀπιστίας regimen efficax. Et paulò antea in quatuor

Angelis concessi, infernales spiritus agnosci posse. Hic verò ex-
exercitus potius iis constat, qui à turbonibus tartareis excitati,
quàm ut illi soli intelligantur. Equos igitur vulgus militare si-
gnare, non absolum fuerit, quos sessorum duces regunt. Sed nec
excludere ipsa, quibus vehuntur, jumenta, cum de equestri mili-
tia præcipue sit sermo, necessarium reor. Equi notantur robusti,
generosi, militiæ apti. Ut verò mali prædicatores in equis qua-
rantur, totus scopus & ratio textus non permittit. Ἐχοντας (an
singuli singulas, an triplices? in re parum interesse videtur, utrum
dixeris,) θώρακας πυρίνους ἢ υἰακινθίνους (undè Primasii lectio
spinea, non assequor,) ἢ θειώδεις. Absurdi sunt, qui ipsam na-
turam aëream vel pœnas & tormenta, quibus diaboli affligantur,
notari existimant. Thorax, armorum genus defensionis servit
ejus, qui induit, nec nisi absurdè ad tormenta refertur. Cumque
intentio sit SPIRITUS S. copias repræsentare, ut maxime terribiles
iis, ad quos puniendos emittuntur, non à doloribus, quos ipsi fe-
rant, sed instrumentis sævitæ describere decuit. Itaque nec ad
diversos colores gentium diversarum retulerim: etiamsi haud
usque adeò improbabile videatur, ad triplicem populum, bis re-
petito ternario, intendi digitum. Prima intentione existimo, sævi-
tiæ, furoris, terroris, celeritatis, pietatis simulatæ, sanguinolentiæ,
superbiæ, arrogantæ, libidinum, & incendiorum, quibus grassan-
tur, hieroglyphicum exhiberi. Quod autem de hyacintho & sul-
fure, quibus hostes insuperabiles & ad supplicium à DEO missi
intelligerentur, dicunt, longius petitum est. Tum si de lanea hya-
cinthina lorica locus intelligendus, quæ cujusdam conjectura,
non tam armaturam ridiculam, vel joculari notarem, quàm
morem gentis ferro indui non solitæ, quæ malit animis igneis &
ferocibus armari, quàm lorici. Nec aliena censenda, quæ de
pulvere conjiciunt pyrro, ignivomo, materia sulfurea, fumo hy-
acinthino. Demùm ea in vastandis igne fumoque provinciis,
quas invaserint, truculentia est, ut igne, fumo & sulfure picti ea-
dem evomere videantur.

§. 8. Equorum ulterior ὑποῦπασσις adjungitur, qui non
bucephali, sed leontocephali producuntur. Καὶ αἱ κεφαλὰὶ τῶν
ἵππων

ἵππων ὡς κεφαλὰ λεόντων. Emblema leonis in deteriore parte superbam audaciam, impetum, crudelitatem, sanguinolentiam & terrorem aliis incussum notat, quæ omnia huc non malè quadrant. Ita repræsentantur equorum rictus sanguinolenti, qualis leonis post devoratas pecudes. Nec refugio, ipsorum equorum generositatem & robur indicari. καὶ (cùm aliàs quoque leones halitum fatentem dicantur emittere) ἐκ τῶν σωματίων αὐτῶν ἐκπορεύεται (pro Imperfecto) πῦρ καὶ καπνὸς καὶ θεῖον. Respondent illa loricis memoratis, quæ nunc evomere ore crudeli dicuntur. Sunt, qui ad doctrinam referunt blasphemias eructantem. Quod uti non rejicio, ita mallem ad incendia & vastationes referre, quæ non tantùm minaci ore subindè spirant; (eò retuleris, quòd ipsâ religionis lege ad hoc incitantur,) sed & plerumquè anteambulones sunt exercitus universi: Hunc enim vastatrices & incendiariæ terrori latè spargendo manus præcedunt. Dixeris, ignivomo halitu diræ gentis aduri, quæcunqve ante ipsos sunt. Ad di possunt chordæ arcuum sulfuratæ aut spicula venenata, quæ, arcu intenso, ex ore videntur evolare, & ora tormentorum πυρόβολα, sulfureas flammæ, & fumum ejaculantia, & in capite seu fronte aciei collocata: ut ex ore exercitus, in quo singuli aliis minoribus bombardis similia eructant, fulgura ea non sine noxa procedere conspiciantur.

§. 9. De ea noxia ulterius loquitur. Ἀπὸ τῶν τραῶν πληγῶν (alii ordinibus vel exercitibus) τέτων, ἐκ (causa instrumentalis) τῶ πυρός, καὶ τῆ καπνῆ, καὶ τῆ θεῖα, τῶ ἐκπορευομένων (pro ἐκπορευομένων) ἐκ τῶν σωματίων αὐτῶν. Sunt ergò tres plagæ, non eorum, qui in exercitu, sed in quos armantur. Dilutum est, si ἄπὸ accipias, ut Psal. CII, 6. pro propter: ut non causæ vel instrumenta calamitatum, sed merita designentur. Quid enim modò fiet de præpositione ἐκ, & vers. 20. ἐν? Taceo, quòd alii Codices ὑπὸ agnoscunt. Et quomodò τέτων, si prius nulla mentio earum? quæ enim antegressa de tribus istis, evidenter ad arma exercitus ultoris, non merita puniendorum, referuntur. Ἀπεκτάνθησαν (in numero synthesis) omni mortis genere, quod barbaram feritatem comitatur, pereunt. Τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων.

Verf. 18.

ἀνθρώπων. Executio, destinationi divinæ respondens, nec ulte-
 Vers. 19. rius, quàm ille permiserit, licet scire. Jam *expositione* confir-
 mantur dicta. Ἡ γὰρ ἐξουσία αὐτῶν. Aliis ἐξουσία, quia duplex
 potestas. Potestas autem divina permissione concessa, sine qua
 nihil valent. Ἐν τῷ σώματι αὐτῶν ἴσθι. Nihil prohibet, quò mi-
 nùs latissimè accipiamus de imperiis Manlianis, minis atrocibus,
 clamore militari & truci ululatu, aciei ore vel fronte, (undè tor-
 menta fulminant, & primus maximeqve formidabilis impetus
 fit,) thraconicis titulis, jactantiâ de successibus, fraudulentâ per-
 svatione, lege, quam profitentur, dictatore ipso, ut ore imperii,
 cujus voce omnia perficiuntur. Sed non tantùm primâ fronte
 nocent. Καὶ ἐν ταῖς ἑραῖς αὐτῶν. (Non omittendum hoc
 μῆμα, quod antiquiores Codices & Interpretes agnoscunt.
 Accedente συναφείας manifestâ ratione. Interim B. Megalandri
 nostri Versionem à falsi suspicione liberant alii libri, & adverfa-
 riorum exemplum.) In sensu iterum libertas patet. Insidias no-
 tari, quibus struendis studeant, & fraudes perfidas, nihil impedit,
 nec minùs quæ fugientes, tanquam à tergo capitati, tela jaciunt:
 adde agminis postremi noxas, tum despectissimum (Deut.
 XXVIII, 44.) militem, in quo purgamenta gentium & homines
 imæ caveæ, qui tamen plus aliis nocent: jungi illud potest, quòd,
 victoriâ obtentâ, cùm aliquandiu placidè quievissè videntur, ad
 tyrannidem iis redire solenne est. Fines malorum, quæ videntur,
 futurorum erunt initia. Nec verò excludenda significatio, quæ
 subinnuitur Jes. IX, 15. cum pseudoprophetis symbolum caudæ
 aptatur. Religiosos suos & sacerdotes secum ducit gens barbara,
 & ab his etiam, quòd non præsentialis, gravissima damna. Luxuriæ
 aut bonorum temporalium vel potentia secularis symbolon vi-
 detur esse aliquantò longiùs peütum. Αἱ γὰρ ἑραὶ αὐτῶν ὅμοια
 ὄφειν. Undè tibi, non timeas? (in equi enim cauda, quod for-
 midemus, non apparet,) maxima noxa provenit. Serpentina sunt
 caudæ incautis venenum infundentes, etiam in religione, quod
 non apparebat prima facie, cùm conscientiarum libertatem,
 præ se ferant. Ἐχουσα κεφαλὰς. Novum monstrum. Est gravis
 in geminum surgens caput amphisibæna. Habent & impedi-
 menta

menta

⦿: (17) : ⦿

menta castrorum, extrema aciei, &c. suas τάξεις, ut ab anteriori & posteriori parte non latera, sed frontes agnoscas. Ipsa fex militaris idonea, quæ duces agat, ac ad eam dignitatem aspirare non prohibetur. Accedit serpentini capitis astutia, Syr. XXV, 22. deceptionibus apta. Lectio, quæ habet *capita draconum*, præter necessitatem mysterium quærit, καὶ ἐν (Hebraïsm, pro διὰ) ἀνταῖς ἀδικῆσι. Notat aliquando vox ea nocumentum simpliciter, sed non necesse est, ut à rigore discedamus. Manet ἀδικία ex illorum parte, qui bella etiam sine legitima causa gerunt, aut cum laceffiti iusta arma susceperint, crudelitate modum excedente, bonitatem causæ perdunt: etiamsi & passio iusta sit ex eorum parte, qui malis his affliguntur, & à DEO permissio iustissima, qui aliorum pœnæ flagitia horum inservire facit.

§. 10. Tertium superest, *eventus*. Haud dubiè ad pœnitentiam DEUS μακρόθυμος vel durioribus hisce mediis allicere intendit Lev. XXVI, 41. Sed frustratur hominum ἀπειληκότητων malitia voluntatem numinis benignissimam. Undè tristia verba, generalia primò: καὶ (verum, quod mireris) Verf. 10. οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων (genitivus partitivè) οἱ ἔκ ἀπειληκότησιν ἐν (Hebraïsm.) ταῖς πληγαῖς ταύταις. Ellipticam locutionem pleriqve volunt, aut ἀποσιώπησιν, vel ita supplendam, & reliqui scil. mansere superstites aliqui: vel quod omisum, nec illis fore obstinationem suam sine pœna, aut quod sequens ἔτε pro ἔ suppositum. Hi verò superstites nullatenus, quod aliqui, ab Ecclesia separati tenendi numero & merito, vel gentiles: Quamvis enim Ecclesiæ invisibili eos impœnitentes tribuere nequeamus, haud dubiè tamen Ecclesia visibilis ea est in Christianismo corrupto, quæ & mala, de quibus hætenus, pertulit, quæqve impœnitentiâ divinum de se consilium ἠθέτησε: Ne alios punitos, de aliorum, ad quos ista non spectant, impœnitentiâ incommodè querelam institui, dicamus. Undè nec eos quærare necesse sit, quibus Satan, cùm sui sint, nocere nolit, sed in quibus occidendis furori ejus divina providentia posuit metas. Οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων τῶν χειρῶν

C

ῶν

ῥῶν αὐτῶν. Communis descriptio non idolorum tantum, de quibus mox, sed omnium malorum facinorum, Deut. XXXI, 29. ad quæ homo suoapte fertur ingenio. Est ille communis bellorum eventus, ut homines deteriores fiant, quod in isto quoque diuturno bello, ab Angelis excitato, obtinet.

§. II. Nunc quædam in specie exprimit flagitia, quibus mundus DEUM offendit. Primam tabulam illa concernunt. Ἴνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια. Atheismi consummati ne meminit quidem, qui tam apud nasutiores Turcas, quam cæteros falsarum religionum sectatores acutiores obtinet. Inprimis autem idololatriam exagitat, cujus species externa & crassior huic genti, ex qua militia ista, abominationi est. Primum idololatriæ omnis extremus ostenditur terminus, cultus *dæmonis*, non crassissimus ille tantum Indiæ orientalis & Chinæ, sed interpretativus, qui in omni alio cultu vetito. Conf. Psal. CVI, 37. Deut. XXXII, 17. Si quæ nonnemo de dæmonibus, qui Ethnicis medii inter cœlestes Deos & homines mortales ac utrorumque mediatores, suâ autem naturâ animæ præclarorum virorum post mortem consecratæ, fuerunt crediti, 1. Tim. IV, 1. meditatus est, recto stant talo: multò amplior lux affulget intelligendo hunc loco de advocatis commentitiis & mediatoribus, quos è cœlitum ordine maleconsulti sibi asciscunt. καὶ (ἐξηγητικῶς, vel quod aliqui αὐξητικῶς, quod turpius,) τὰ εἰδωλα τὰ χρυσοῦ, καὶ τὰ ἀργυροῦ, καὶ τὰ χαλκῶ, καὶ τὰ λίθινα, καὶ τὰ ξύλινα, ἃ ἔτε βλέπειν δύναται, ἔτε ἀκέειν, ἔτε περιπατεῖν (ex Psal. CXV, 4. & CXXXV, 15. Ultimum perperam Syri Codd. omittunt.) Uti prioribus verbis atrocitas idololatriæ ostensa: ita istis pudenda vanitas. Quid enim absurdius, quam inanimatas res adorare? ut & sapientiores ethnici absurditatem agnoverint. Nec verò symbolica intentio, aliorum referendi cultum, qua excusatione frequenter ipsi gentiles usi, ineptias satis diluit. Sunt qui hinc tantum idololatriam spirituales, avaritiam, (quam postea furta satis exprimunt,) & nescio quam lepidâ diversorum metallorum & materie ad Theologiam, Jura, Medicinam vel Physicam, Ethicam, Logicam, appli-

appli-

applicatione, studiorum *ἀταξίαν* intelligi volunt. Illud non sine specie, nisi tam sollicitè crassum imaginum cultum ac ita iconolatricam externam prolixâ descriptione, (quâ vix opus videri poterat,) & exerto digito in oppositione ad alia peccata, designans cavisset Joannes, ne in mysticâ tantùm & subtilissimâ hoc in loco subsisteremus.

§. 12. Ferax aliorum quoque scelerum in cultu sacro error; ita secundæ tabulæ peccata cum primæ transgressione juncta. *καὶ ἡ μετενώπιον ἐκ τῶν φόνων αὐτῶν.* Cujusvis generis cædes rectè hîc conjungimus: atque adeò quicquid adversus quintam decalogi legem pugnat. Huc odia privatorum, jurgia, invidia, inimicitia professæ, duella. Bella inter Ecclesiæ membra saltem putatitia, sine causa legitima gesta, eadem inter arcana dominationis multâ improbitate relata, gladius injuriâ usurpatus, imprimis in martyricidio, Apoc. XVII, 6. incuria magnorum in servandâ variis mediis plurium vitâ, &c. *ὄυτε ἐκ τῶν φαρμακειῶν αὐτῶν.* Huc non tam, veneficio quæ fiant, cædes occultas, quæ sub priori membro commodè intelliguntur, retulerim, quàm quicquid magicarum artium, diabolicæ collusionis, & plerisque non animadversarum superstitionum passim viget. Quod tam altè animis hominum insedit, ut ægrè agnoscat. *ὄυτε ἐκ τῆς πορνείας αὐτῶν.* Uno nomine, non tam spirituales fornicationem, superius expressam, quàm omnem impuritatem, sexto præcepto adversam, notat, quæ in tot speciatim vitia carnis dispescitur. *ὄυτε ἐκ τῶν κλεμμάτων αὐτῶν.* Omnis injustitiæ species indigitatur: tum magistratum & principum, tributis nimis suos subditos opprimentium, seu incuriâ sua subsidia vivendi negligentium, aut destruentium: tum subditorum fide non optimâ erga præpositos agentium, aut cum alius alterum expilare, seu palàm, seu occultis fraudibus molitur. Huc etiam sacra furta, seu Simoniam seu sacrilegia velis, referenda sunt. In illis autem peccatis, tanquam generibus, reliqua simul complecti decet, cum extantiora notasse instituto SPIRITUS S. suffecerit.

C 2

H. Ap-

II.
 APPLICATIO PROPHETIÆ
 VEL COMPLEMENTUM.

Fulere minæ omnipotentis, dudum per B. Joannem Ecclesiæ intimatæ. Nunc *ὡς τὸ πῦρ ὁ Περσφῆτης λέγει* Actor. VIII, 34. In varia abeunt Interpretes, difficultatis non exiguo testimonio. Ut verò, quam veram censemus, applicationem firmiùs statuamus, adversas modestè priùs sub examen revocare exigit necessitas, eo ordine, ut, præmissis, quas omninò erroneas, sequatur sententia, quam saltem ex parte veram arbitramur. Memores tamen instituti, allegatione plurium omisâ, in singulis sententiis solùm principes auctores notabimus. Qui alios sequuntur ultra Septuaginta, in ipso tractatu nostro cum cura notabuntur, & specialibus differentiis distingventur.

SECTIO I.

ΑΝΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ.

§. I.

Cum in *spirituales*, sine prophetia, & *historiales*, si-
 ve ad historiæ prophetiam spectantes, dividi soleant Apo-
 calypseos interpretes: Ab illis initium facimus, nempe
 qui ad nullam Christianæ Ecclesiæ historiâ sigillatim descendunt,
 sed de bello inter bonorum & improborum respublicas gene-
 ratim interpretantur. Duæ rursus sunt classes, cum alii bellum in-
 ter *Ecclesiam & cœtum malignantium*; alii *carnis & spiritus* in
 eodem homine luctam revelationis hujus constituent argumen-
 tum. In præsentî tamen nostrâ *ἑξιοχῆ* priorum, quorum fa-
 miliam *Ticonius* ferè ducit, exempla pauca occurrunt: Cum
 pleriqve illi in hoc saltem loco ad notandam Antichristi perse-
 cutionem, ac ita ad particulare aliquod factum descendant.
 Unum reperi, quicumque ille Mediolanensis, an alius fuerit,

Am.

Ambrosium: qui, etiam si de martyribus, qui ab Imperatoribus Romanis occisi, initio videatur explicare, tandem tamen latius extendit, & ad omnes impios, qui ab initio mundi fuerunt, & erunt usque in finem, referre laborat. Ita ut per horam tempus ab initio mundi usque ad diluvium; per diem tempus diluvii usque ad legem; per mensem tempus sub lege; per annum autem tempus sub gratia designetur, ac ita in quatuor temporibus omnes reprobi electorum persecutores comprehendantur. Verum, nisi fallor, illa explicandi ratio dudum ab aliis confutata, tanquam longe inferior sublimitate prophetiae huius, in qua non alia contineri pateretur, quam quae paucissimis periodis, de voluntate DEI & rerum mundanarum statu edoctus, absque speciali revelatione praedicere posset. Nam etiam absque Apocalypsi si fuisset, Ecclesiam certaminibus variis exercendam praenoscere potuimus, neque erat necesse, illam tam variis symbolis ac aenigmatibus praefigurari, nisi talia subessent de peculiaribus fatibus vaticinia, quae nemo hominum sine speciali ἀποκαλύψει scire poterat. Nec illa pluribus exsequor. Hoc tantum notamus, martyres incommodè ad hos referri, qui in nostro loco à barbaro exercitu caduntur. Tales enim textus depingit eos, qui suo merito & justo DEI iudicio ad caedem traditi, cum eorum, qui reliqui superfuere, mores de hisce sufficiens edant testimonium.

§. 2. Alteram classem orsus *Bened. Arias Montanus* includit humani unius pectoris angustiis universam Apocalypsin. In praesentem locum illa paucis sententia: *Notari quatuor Angelos, in DEI iustitiam fructum ferentes ad punitionem malitiae prolapsi hominis, dimissos adversus tertiam partem appetentiarum terrenarum. His ergo, ut variae sunt, multiplicem expugnantium exercitum opponendum, qui symbolis hic representetur.* Expositio mira, ἀδόξα, philosophicae speculationi, quam prophetiae congruentior: imprimis adversa intentioni DEI revelantis, qui prophetiam promisit Apoc. I, 1. 3. XXII, 6. 10. & ne in voce sola ludatur, talem, quae de futuris ageret, quorum tempus propè sit, etiam si nondum omninò venerit. Ea verò in

homine pugna Apocalypsi longè antiquior, nec alia hodiè, quàm olim. Adde, quòd angeli eorumque exercitus mali monstrati sint, fuisse & ἀδινῶτες. Sed non plura in re aperta.

§. 3. Inter eos, qui historicam viam ingrediuntur, illa denudò differentia, ut quidam B. Apostolo hinc res *præteritas* repræsentatas arbitrentur: Alii futuras. Illud duobus placuit, inter se tamen diversis. Primus est *Rupertus Tuitiensis Abbas*, seculi XII. Scriptor. Ita ille de nostro loco sentit: *Israelitas, cum prioribus castigationibus nihil emendati essent, juxta minas 2. Paralip. XXXIV, 24. XXXVI, 15. traditos in potestatem quatuor angelorum, qui sint quatuor Imperia à Daniele prænunciata, Babylonium, Medo-Persicum, Græcum, Romanum. Hos solutos, cum Chaldaei Judæis, in captivitatem abducendis, Euphratem transierint. Exercitum non hostes tantum notare, sed ipsam Israelitarum cum gentilibus immundam permixtionem; quin & thoracibus ac equorum halitu pestifero peccata gentis signari.* Sed (1) primarius repugnat scopus SPIRITUS S. ex Apoc. I, 1. 19. ubi argumenti Apocalyplici divisionem, non triplicem, (à eisdem enim ex collatione vers. 2. & II. novam non constituunt classem; aut si constituerent, saltem Joanne anteriora non continerent,) sed duplicem notari dicimus: Et Apoc. IV, 1. ubi ad secundam partem transitus evidens. Præterita quidem libro aliqua inserta non diffitemur; negamus autem de illis, quæ ad ἔργον & proprium tractationis argumentum referuntur. Instantia à benedictionibus Jacobi Gen. XLIX. causæ nostræ nihil officit, sed servit potius. Tubas verò ad primarium argumentum Apocalypseos spectare quis dubitaret? Certè si ad V. T. seriem continuam sex Tubæ priores referendæ, quàm pauca supersunt Ecclesiæ novæ instructioni, præter mentionem conversarum gentium, & Antichristi trimuli? Annon Christus hinc in Judaicam Ecclesiam liberalissimus, cujus fata præterita tantâ cum solennitate, multò autem minori necessitate in theatrum producit, in suam verò paratissimus statuitur, quàm, paucis exceptis, iisque satis generabilibus, conditionis suæ voluerit manere ignaram. (2) Discernit Rupertus totum corpus Joannæ prophetiæ. Non jam di-

spu.

☉: (23): ☉

ſputamus, an ſeptimo ſigillo aptandum tubarum principium: ſaltem ſigillo primo anteriores tubæ ſine magna confuſione ſtatuī non poſſunt. Sigillis verò myſteria incarnationis, paſſionis, &c. deſcribi arbitratur, utiqve res N. T. debitas. Qvī ergò ſit, qvòd, his ſolutis, non à principio tantum, undè prima prophetia cepiſſet, ſed altiùs tubas arceſſit. (3) Faſſus ipſe Tuitienſis, Eccleſiam Apoc. IV. qvālis nempè in N. T. eſt, deſcribi: hæc ergò theatrum Apocalypticarum viſionum. (4) Nec ipſa applicatio abſurditatibus vacat. (α) Putat 70. annos captivitatis Babylonice horā, 230. Perſarum die, 230. Græcorum mēſe, & qvī hæctenus in Romano Imperio fluxere annō notari. Qvām mira temporum hæc proportio? (β) Totalis πανολεθρία Judaicæ gentis ſub Romanis graviùs exprimi meretur, qvām qvòd tertia pars occiſa. (γ) Judæi hodierni, etiam obſtinatiſſimi, ab iconolatia immunes ſunt. De qua verſ. 20.

§. 4. Alter noſtro ſeculo prodiit, qvī de præteritis, ſed diverſo modo interpretatur Ludov. ab Alcaſar Jeſuita; cumqve, ut adularetur ſedi Romanæ, cujus gloriam ſcopum Apocalypſeos eſſe comminiſcitur, triplex argumentum Libri ſtatuere, victorias ſcil. Chriſti à Judaica natione in ipſorum πανολεθρία, & alteram à gentibus in Romæ converſione reportatas; demum conſectaria illarum, Eccleſiæ pacem, Antichriſti cladem ac triumphum æternitatis. Ad primum refert locum noſtrum. Summa ſententiæ iſta: *Ad queſtus religionis Chriſtiana decretam divinitus ultionem in gentem perfidam. Angelos ergò hoſtiles Φιλαυτίαν, πλεονεξίαν, κενοδοξίαν, & proprium judicium, datā furorum occaſione, ſolutos immiſſiſſe integrum irarum & odiorum exercitum. Ita miſeros Judæos vexatos, ut rabie perciti in Evangelium permitterentur ſua indulgere inſaniæ, qua, aliis dum nocere vult, noceat ſibi. Periſſe illis tertiam partem, cum iracundia minuatur dies.* Non nova magis hæc, qvām abſona ſunt molimina Hiſpalenſis. Πρωτον ψευδος omnis explicationis, qvòd prophetiæ indolem, qvæ futura reſpicit, non attenderit. Ut verò objectionem vitaret, figmento fuit opus. Apocalypſin Joanni repræſentatam, non ut tunc primo revelatam, ſed ut
rem

rem animæ Christi in ipsa incarnatione ostensam, quò intuitu, quæ præterita fuere, cum actio coram Joanne ab Angelo ederetur, futurorum non exuant nomen. In quod allegat Apoc. I, 1. Verùm (1) desideramus dramatis illius, Christo & dein tanquam rei præteritæ Joanni exhibiti, testem Alcasare digniorem. Locus Apoc. I, 1. id non conficit. (2) Hypothesis non idonea. Fatetur enim sine symbolo res Christo revelatas: saltem ergò, quicquid hîc Joanni visionibus symbolicis exhibitum, tum primùm exhibebatur, neque tantum repetebatur, tanquam prius manifestatum. Itaque drama sacrum, hac specie non præsentatum Christo, id debuit respicere tempus, quò Joanni exhibitum, atque ita, ut liber continet visionum ordinem descriptum, & à nobis legitur. Huic prophetiæ nomen negare jam non poterimus, neque illa, quæ de præsentis statu, theatro instruendo, opus fuit inferi volumini, aliquid de eo delibabunt. Certè Jesuitæ major pars Apocalypseos prophetia non fuerit, cum hoc ei nomen nec conveniat, prout Joanni facta revelatio, nec prout Christo data, quæ profectio nostra non esset Apocalypsis, etiamsi sine symbolis eadem fata complecteretur. Ex phrasibus novum duci posset argumentum. Quod ex Apoc. I, 10. colligit de voce, à tergo audita, infirmum, & non in aliud solum, sed contrarium pari facilitate ab aliis trahitur. (3) Præterea Apoc. I, 1. ἃ δὲ ἠρέθαι rectius non ad illa priora tantum ἢν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεὸς retuleris, sed quàm maximè naturali situ ad proxima δείξαι, &c. In quantum ergò apocalypsis servis DEI facta, non modò, in quantum Christo data, futura loquitur. Si tamen illud etiam largiremur, finis dationis esset, ut ostenderet servis, non quæ facta, sed quæ futura: itaque tum quando adhuc futura. Conf. Amos. III, 7. An autem fidelissimus Hebr. IV, 2. interpretis voluntatis divinæ, hujus consilium tamdiu esset frustratus, ut eousquè reticeret, quæ sibi ut revelaret data, donec eorum nullus seu minor fructus esse poterat. Dicit ille, datam ut revelaret, quæ citò futura. Accipio. De duobus autem argumentis Apocalypseos posterioribus ipse fatetur, hæc ad citò futura non referenda.

Pri-

☞: (25): ☞

Primum ergò, nempe quod illa antecedit, revelandum erat, tanquam futurum. Ubi elabatur, non habebit, nisi Apocalypsin ante excidium Judaicum scriptam velit, quod tamen ex vero masculè impugnat. Quomodò citò futura & palam facta nos dicere possimus, huic breviori synopsi vix convenit explicare. (4) Ex Apoc. IV, 1. novum argumentum à voce, quam Christi fuisse docet ipse, licet ducere: Videlicet saltem à cap. IV. *δεξιῶν* futurorum in Apocalypsi quærendam, non solem quâ illa revelatio Christo facta, sed & quâ Joanni ab ipso Christo: nec enim sub Christi incarnationem fingere potest, eam vocem Apostolo allapsam. (5) Pugnat cum Prophetiæ Joanneæ excellentia, quam ante alia vaticinia ei tribuit vel maximè Alcafariana expositio. Qvis enim dicat, veræ Prophetiæ antecellere illam, quæ majori parte res præteritas, in se facillè intellectas, obscuris nec necessariis ænigmatibus involvit. Plura argumenta ab ἀναπολασθία & novitate brevitatis causa huc non conjiciam, quibus tota Jesuitici Systematis compages luxatur: quâ cadente, non novis opus est arietibus, ut sternatur nostri speciatim loci *ψευδοερμηνεία*. Aliquos tamen in latiori deductione admovebimus.

§. 5. Præter istas reliquæ sententiæ patiuntur prophetiam, fuisse de rebus futuris: in cæteris nihilomagis inter se concordēs. Quædam complementum *evenisse jam credunt*, aliæ expectant. Illarum quinque inprimis notavi. Primam ducit, & pro ingenio suo speciosè tuetur magnus *ἰδιογνώμων* Hugo Grotius. Mireris, quâ fieri possit, ut tam diversis viis ad eandem metam perveniretur, quam diversæ sunt expositiones Alcafaris modò nominati & Grotii, cum uterque tamen Judaicæ gentis ferale malum notari arbitrentur. Sententiæ Hugonis ita breviter contraho. *Precibus exulum Christianorum motus DEUS ultionem decernit, solutaq; copia quatuor angelorum Vespasiani, Titi, Muciani & Tiberii Alexandri adversus Judæos urbem aggrediuntur. His copiis accedunt equites legionarii & alares, vicinarum gentium socii innumeri. Loricis equites juxta gentes distincti. Ignis, quem vomunt, ignita missilia, cauda nociva pedites equitibus junctos notant. Hæc viri mens.* Nec verò difficulter expositionis vanitas convincitur.

D

Fate-

Fatetur prophetiam esse Apocalypsin, & de futuris agere. Quò datò omnia ruunt. Sed ante excidium Hierosolymorum scriptam arbitratur. Arbitratur sanè, verùm errore, quem tanto viro indignum historiarum studiosi notaverunt & refutarunt. Nostrum jam non est illa exsequi. Propius nobis est, quòd in explanatione Grotiana nulla excidii Hierosolymitani ipsius mentio, quam tamen ad vix secundum spectare profitetur. Verba præsentia de præcedanea obsidione explicantur. Indè Apoc. X. libellus sententiam jamjam pronunciandam continet. Nec dum executio additur. Quod dicitur ibi de pedibus, in terra & mari collocatis, ne ille quidem actus excidium ipsum exprimit, uti nec vers. 3. vox Christi irati, mox tamen septem tonitrua expugnationem secuta asserit. Post hæc ergò cum non quærenda expugnatio, B. Apostolum valdè sollicitum fuisse oportet in describendis consecutaneis & antecedentibus *πανολεθρίας*, minùs diligentem in eo, ob quod illa. Sed dicit: Curæ leves loquuntur, ingentes stupent. Quid ergò fiet de Babylonis excidio, tam latè infra memorato, aut Domitiani persecutione, quam toties inculcat Joannes secundùm Belgam? Sunt & alia coactiora in ipso textu. e. g. quòd numerosissimum istum exercitum de equitatu socialium interpretatur, longè minori, quam qui illà hyperbole denotetur, quæ numerum in Scriptura inter determinatos maximum usurpet. Non minùs, quæ de idololatria tantùm spirituali dicit, textui non sufficere, ex superioribus arbitror palam esse.

§. 6. Ad Nicolaum Lyranum transimus, celebrem cæteroqvi Scripturæ Interpretem, in Apocalypsi tamen minùs felicem. Sunt enim pleraque violenter torta. De præsentis negotio ita sentit: *Laurentium*, qui in Schismate 498. Papalem involaverit sedem, clamasse tubâ, ipsumq; cum Symmacho adversario, Anastasio Imperatore Eutychiano, & Theodorico Ariano, Italia Rege, quaternarium Angelorum constituere, à Pascasio Cardinale, qui ipsum fovit, solutorum in Ecclesiæ turbationem. Fuisse eos paratissimos ad occidendam magnam Catholicorum partem. Illos verò, qui in toto Imperio inter se dissidebant, equitum tanto numero representari, lorice hæresi & hypocrisi pictis: Prætereà rem & minis & fraudibus actam.

Am-

☞: (27): ☞

Impenitentiam ceterorum hominum refert ad eadem, quæ sub hoc tempore edita à Saxonibus & Thuringis, bella inter se gerentibus. Sed ut reliquam Lyrani coactiorem in interpretatione coherentiam, hinc non examinem; pleraque vix ab absurditate liberabuntur. Angelorum quaternarius difficulter ille probabitur fuisse, cum non una unquam allegatorum intentio fuerit. Symmachum an inter malos angelos, quales sunt, qui ut vincerentur indigebant, referendus, viderit ipse, qui ab Ecclesia approbatam ejus electionem docet, & ob eum impugnatum Pascasium Cardinalem, virum aliàs sanctum & devotum, post mortem in purgatorio inventum fabulatur. Ad apertum bellum res nunquam prorupit inter Theodoricum & Anastasium: emphasis autem textus intra illud vix stabit, cum minæ solæ ei non sufficiant, nec in seditione commissæ cædes. Numerus equitatus longè major, quam ut motui, quò non ipsa potior Orbis cultioris pars concussa, tribui quiret: quod idem de tertia parte occisorum dictum volo. Quod verò de bello inter Saxones & Thuringos annectitur, quæ specie cohereat cum prioribus, non vel lynceis perspicio oculis, undè incidentalem partem ipse dicit. Clarè autem textus coherentiam eam facit, ut reliquos intelligamus ejusdem multitudinis, ex qua tertia pars perierat; quæ si sit Ecclesia, non in paganis reliqui querendi fuerint, quibus ad penitentiam illas ab hæreticis excitatas turbas servire debuisse, nimis est absolum.

§. 7. *Pauli Tossani sententia temporis intuitu proximum sibi vendicat locum, qui ad irruptionem Barbarorum, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, Saracenorum, à quibus miserè vastatus Orbis, refert. Non procul à veritate, saltem reliquis probabilius. Perspexit optimè de hostilibus & cruentis bellis eo loco agi, non verò de occultis tectisque hæreticorum artibus, ac adeò plagæ indolem satis assecutus. Quod insuper Saracenos miscet reliquis, in eo partem applicationis non illubenter acceptamus. Quod verò omne complementum illo tempore exacto finiri vult, in eo arbitramur recessisse ab intentione Spiritus Sancti, qui non ad ἀκμήν solùm Papalis Regni hoc nostrum vix secundum extendit, sed ei ex parte saltem majori illud consti-*

D 2

tuit

tuit parallelum, quod collatio cap. XI, 3. 7. 14. & cap. XIII, 5. seq. evincere potest. Tum mentio duorum væ cap. IX, 12. tanquam ea uno impetu irruptura sint in Orbem Christianum. Prætereà quo communi vinculo ad eandem tubam barbari hi, fortè in nullo alio, quàm bellandi prædandiqve aviditate convenientes, referantur, vix video, quod in nostra sententia Mahometes præbebit. Taceo, quòd quatuor angelorum & Euphratis mentio non illa proprietate Tossano faveant, quâ nobis favebunt. Graviorem censuram meretur *Conradus Græserus*, qui eodem modo in exercitu equestri agnoscit barbaros, devastato debilitatoqve Imperio Romano Antichristi obicem removentes: illam verò inexcusabilem superaddit absurditatem, quòd in monstrosa equitum, qui subsequuntur, figurâ Episcopo - Satrapas, vel brachium Papæi regni Ecclesiasticum deprehendisse sibi imaginatur. Prorsus tanquam liberum nobis esset, pro arbitrio benè coherentem textum divellere, & ad aliena trahere, cum tamen, mentione facta *στρατευμάτων τῶν ἰππικῶν*, mox quid & auditu & visu circa illa sibi obtigerit, narrare pergat. Quàm aptè hoc, nisi iidem equi, quos vocat *τῶν ἰππικῶν*, præmemorati sunt in voce equitatus? Collatio etiam vers. 15. & 18. consilio executionem opponens, monstrare potest totius *πείλοχῆς* indivulsum nexum.

§. 8 Non rectiùs calculum collocatum à *Joanne Jonstone* apparebit, si sententia vel inspiciatur, cum *equitatum* similiter, fingit *duplicem*; alterum *voluptuarium*, equorum, quos *decimo seculo Theophylactus*, è stirpe *Casareâ Patriarcha Constantinopolitani*, vitæ licentiosa retinens, bis mille aluerit, & quibus alibi quovque Clerici ferocire non sine luxu statum eorum decenti ceperint; alterum *militarem*, qui in *Saracenicis, Russicis, Hungaricis & Sclavonicis irruptionibus occidentem pariter & orientem vexaverit*. Sed suprâ monuimus, quàm non duplex illa equorum species verbis nostris conveniat, nec ligatio ad Euphratem commodè explicari potest: Tum *Theophylacti* luxus etiamsi detestabilis, minoris tamen momenti est, quàm ut tubæ sit argumentum, quod cuivis consideranti facile apparebit. Quòd *Saracenicis expeditiones*

jun-

jungit, ex parte verum, licet aliud agens, perspexit: reliquos populos Euphrati difficulter aptaveris. Ut taceam, quod totam Apocalypseos applicationem attinet, septem illas annorum septuagenas, ubi à Nerva cœperis, ter repetitas, pridem ad exitum perductas, cum tamen non nisi in ultimo iudicio factorum in libro hoc prænunciatorum terminus sit quærendus: undè vel diem extremum prorogatum, vel Jonstonum errasse necesse est: sed inter duo optio facilis. Ipsa verò, quam sibi posuit, necessitas, certis definita annis, quod aliis contigit, ad violentiores virum accommodationes compulit.

§. 9. Quintæ sententiæ autorem deprehendo Anonymum, à B. nostro Luthero editum, quem Joannem Purvejum esse arbitrantur. Quem non pauci, speciali tamen applicatione differentes, sequuntur. *Hi Regnum Pontificium, quòd quinta tuba de Antichristi præcursoribus egerit, notari existimant; quàm seviat illud à præconibus veritatis detectum in hujus confessores, ut ad suos errores vi adigat, nisi inam furentium experiri velint, ac ita spiritali morte occidat tantam hominum multitudinem. Quidam speciatim ad bella post B. Patris nostri excessum adversus Evangelium suscitata referunt.* Aliò digitum intendunt nonnulli, adversus hoc Regnum eadem hinc prædici, quæ Apoc. XVII, 16. prædicantur. Sed nec illa expositio justo talo videtur stare. Corporalis afflictio, ut puto, clarè monstratum esse, argumentum est tubæ nostræ, non spiritalis primâ intentione, etiamsi hanc quoque jungi non diffitear. Si verò de sola persecutione corporali loquatur, quamvis fateor, semper illam fuisse gravissimam, dubito tamen, an ista numeri militaris, quæ sine exemplo est, quantitas aptè quadret. Tum persecutio illa ex hypothesi testes veritatis petit, hos autem, qui illâ plagâ infestantur, ostendimus non alterius generis esse posse, quàm quales è numero eorum fuere superstites, quidvis potiùs quàm veritatis strenui cultores. Quod ultimam conjecturam attinet, eam præter alia incommoda premunt illa, è quibus, superiùs angelos malos notari, colligi potuit.

§. 10. Fuere qui complementum in exacto tempore quæsi-

D 3

vère,

Vere, expectantes futura jam vocat ordo. Primus occurret *Franciscus Ribera*, qui ad præcursores Antichristi refert, illo sensu; quòd sententiâ divinâ soluti quatuor præcipui mali spiritus, qui Euphrati alligati, quod de angelis non sit insolens, excitaverint immantissimorum hominum exercitum, qui non signatorum tertiam partem occiderint. Obscurius illa, sed sub libri finem in *ἑξοβόταξις* clarius refert ad excidium *Babylonis* vel *Rome*, postquam obsequium Pontificis, quod fore putat, exuerit, scelerum suorum, quibus & tum scatebit, & antiquorum premetur reatu, pœnas daturæ, cum decem Reges pridem ei subiecti ante adventum Antichristi, vel sub ipsum ejus initium excindant regnatricem & septicolam urbem. Multa in eo argumento largitur Jesuita Hispanus circa Romam, quæ, veritatis testimonio servientia, non hominis infesti liberalitati, sed Christi dominatrici בקרב איביו, virtuti & Alethæ luci irrefragabili acceptum ferimus. Huic tamen loco nostro illa nullo modo competunt. Quatuor angelorum ad decem illos Reges applicatio difficilis: alligatio etiam ad Euphratem ab iis aliena. Prætereo, quòd ad septimam tubam referenda est quæcunque mentio *Babylonis Apocalyptica*, ad quam Antichristiani regni descriptio pertinet, quod Ecclesiam non passim, aut ut facile posset hostis detegi, vexavit, sed peste intra viscera hærente paulatim crevit, & manifestius cœpit fieri: quæ omnia sextæ tubæ, externum bellum & tale, quod pœnitentiam ab Ecclesia divino consilio exigebat, comminanti haudquaquam conveniant. Taceo omnem ordinem prophetiæ confundi, quod vel *ἑξοβόταξις*, quam opus erat intricatissimo commentario subjungere, sed maximè coacta, evincere potest. Imò ipsa generalissima *Riberiana* thesis de argumento *Apocalypseos*, quam infeliciter singula applicare fuerit necesse, ostendet: cum illud tantum non ad solum Antichristi vicini tempus & extremi diei signa restringat, contra diserta & aliquoties repetita verba, *ἐπιταχῆαι, ὁ καιρὸς ἔγγυς, &c.*

§. II. Nulla priorum sententiarum tot affectus habet, quam ea, de qua nunc loqui ordo vocat, quæ de *Antichristo*, cerebri-
no illo extremi quadriennii terriculamento, exponit. Non dif-
fiteor,

fiteor, sententiam aliquod ab antiquitate trahere posse robur, nisi quod in quibusvis aliis Beato Patrum & antiquorum ordini plus deferre liceat, quam ubi in vaticiniis, quorum complementa nondum viderant, explicandis versantur. Sanctos fateamur & eximiis donis praeditos, veneremur eruditionem & mentis acumen, nec in diligentia aliquid desideremus: Defuit tamen potior clavis, defuit radius clarior, quibus referretur, vel illustraretur, quod reconditum & obscurum. Unde canorum, illorum capitum, quibus veneratio de caetero integra maneat, expositiones non alibi, sed in hoc quoque argumento non semper oracula sunt illis, qui nobis necessitatem a semet non agnitam imponunt. Antiquissima, quantum mihi constat, applicatio ad Antichristum *Victorino Pictaviensi* debetur, post quem sine delectu alii, quae iretur, non quae eundum esset, ivere: nova tamen subinde fabulae affuta commenta. In applicatione singularum circumstantiarum mira varietas & titubatio, quam in argumentum traheres sententiae sibi non constantis. Quod ipsum facit, ut nullam earum pluribus hic persequar, nisi quod generatim dicendum, *de Persecutionibus, quas Antichristus vi, vel hereticorum fraudibus instituet*, explicari. Sub examen revocare opinionem, non tam difficile, quam diffusum, adeoque nostrum excedit institutum, & alio differendum est. Si tria verba addenda in antecessum, mirum videri potest, quae fiat, ut, cum in praecursoribus Antichristi sub tuba quinta eorum ducis facta sit mentio, hic, cum ille tardigradus ipse exercitus suos adducit, persona hujus vae-tubae praecipua, ejus nullo verbo meminerit textus, sed angelorum tantum & exercitus. Praeterea quae conveniat illi, qui ex 2. Thess. II. & 1. Tim. IV. in Ecclesia ipsa hypocrisi, fraudibus, erroribus, grassaturus describitur, mysterio non tam facile oculis obvio, ut hic tanquam publicus orbis latro cum innumerabili exercitu representetur, quem agnoscere talem, utique mysterio vacat. Sed alibi de istis.

§. 12 Una classis superest, sed *ἀνωρύμων*, quorum apud *Andream Cesarensis* mentio fit, qui de extremo judicio exponunt. Allegasse ad refutationem sufficit. Certè talis hic caedes de-

describitur, quæ non sit universalis omnium hominum, nec etiam malorum omnium, cum supersint, à quibus resipiscentia expectabatur, plures impœnitentes, gravioribus adhuc pœnis destinati.

§. 13. Ita vidimus opiniones, quæ ab argumento hujus prophetiæ omninò aberravere: superest, ut, qui ex parte veritati litaverint, producantur. Huc Joannem Napeirum refero, cum pluribus qui sequuntur. Explicatio illa est: *Notari hîc non integrum Muhammedisimum, quia ille cum Saracenis Turcos Ottomanidas complectitur, sed horum tantum imperium & expeditiones, Muhammede cum Saracenis vel & Turcis prioribus ad tubam quintam rejectis.* Quod ipsum facit, ut ex hujus intellectu dependeat sententiæ seu falsitas seu veritas. Illam liquidò probare, non puto esse difficile. Præcipua digito tantum indicabo. (1) Tubæ quintæ argumentum stella cælo lapsa, Muhammedes esse nequit, Ecclesiæ non filius, multo minus doctor. (2) Plaga locustarum spiritualis est, non corporalis: cruciativa, non mortem inferens. Quod de Saracenicis & prioribus Turcicis expeditionibus neutiqvam dicere possumus, quibus ingentes editæ strages, subacta regna, eaqve omnia facta, quæ bellum comitari aut sequi solent. (3) Signati à plaga illarum immunes. Quis verò electos quamplurimos, Saracenicis armis perditos, Ecclesias proteritas non fateatur. (4) Tempus (5) Mensium vix aptabitur illorum furori, & quæ alii circa hoc conati, uti coacta sunt, ita difficulter assensum impetrant. Sed aliàs fusiùs.

S E C T. II.

Κ Α Τ Α Σ Κ Ε Τ Α Σ Τ Ι Κ Η.

§. I.

FAcilè jam fore puto, ut sententiam nostram stabiliamus, remotis aliorum, quæ fuere erroneæ, conjecturis. Paucis me ut expediam, Muhammedis sectam notari, cum Phœnice nostræ Germaniæ, *Luthero*, &, qui hunc sequuntur, plerisque nostris existimo: in quantum illa non tantum virus su-

um

um longè lateq̄ve sparsit, sed per populos seductos miserrimè Christianum orbem, pridem sceleribus suis hoc meritum & adhuc merentem, afflixit & affligit, cujus hodiè quoque sentimus cum dolore experimenta.

§. 2. Argumenta huic applicationi firmandæ alia ex *συναφεία* Apocalypseos, & una totius filii deductione petenda sunt, alia in ipso textu quærenda. Illa ut robur habent irrefragabile, ita exigunt totam divinæ revelationis hujus evolutionem, & in singulis præcedentibus capitibus applicationis demonstrationem. Quod nemo non videt, nostro haud quadrare instituto, qui non in librum integrum commentarios scribimus. Alterum in præsentiarum præstitisse sufficiet. In eo autem liceat ab *ἀλλοφύλω* (Alcafare) petere canonem: *In enigmatum expositione, dum explicandi præcepta servantur ad armissim, nec aliquid violenter, sed debitè cum proportione applicatur; minimè ab interprete requirendum est, ut, quod ad enodationem prius assumit, planum sit & exploratum; sed illud solum, ne quid ineptum aut minus probabile præstituat: quod si hac via ad omnium enigmatum partium idoneam & coherentem expositionem perveniet, ac sensum integrum & omnia perfectè quadrantem assequatur, in quo partes omnes cohereant, & ad argumenti unitatem coalescant; tunc verò manifestè videt, se scopum collimasse, neque ullus ea de re dubitationis scrupulus sibi remanet.* Hoc verò facile præstari hîc posse existimo. Angelus clangens Muhammedem refert, celebrem totius orientis planum, officio, quod sibi prophetæ arrogavit, angelum, seductione turbonem. Ejus historiam differo. Clangorem Alcorani publicationi tantò convenientiùs aptavero, quia ipse ad arma contra quosvis suæ authoritati adversos vocat. Divinæ vocis ultionem decernentis justitiam egregiè status Ecclesiæ, qualis eo tempore fuit, nempe corruptissimus, indicabit. Præter publicos, qui in deterius lapsi, mores clerus avaritia, invidia, ambitione contaminatissimus: quò Bonifacii à Phoca acceptum titulum œcumenicum referas: hæreses ubiq̄ve invalescentes, & harum refrenandarum non idoneum medium syncretismus: animi

E

omnium

omnium hinc ad superstitiones, indè ad profanitatem incli-
nantes: talia erant flagitia, quæ, ut DEUS demum decerneret
vindictam, quasi extorserunt. Angeli soluti commodè Ara-
bes, Saraceni, Tattari & Turcæ sunt, gentes Euphrati seu sem-
per seu cum expeditiones suas suscipere vicinæ. Nisi ma-
lis Saracenos & Arabas una in gente numerare, & addere Per-
sas. Hunnos à Muhammede alienos, & ab Euphrate pleris-
que fatentibus diffitos, in hanc seriem collocare nollem. Hæ
gentes solutæ, cum præsidia, quæ Christianum Orbem tuta-
bantur, remota, variæ occasiones præbitæ irarum justarum,
pariter & injustarum, concessæ victoriæ, quas vix sperare po-
terant, consilia hostium turbata, & quicquid ad successus cœ-
lo datos pertinet. Equestris exercitus studium nationum no-
tat illi militiæ deditarum, uti hodiè etiam Turci & Tattari e-
quis student & labori maximè aptis, & ferendæ belli mole-
stiæ; ut horum equi mediâ hyeme, nive unguis direntâ, vi-
ctum quærant. Quicquid in hieroglyphico thoracum obser-
vavimus, id omne in eosdem aptissimè quadrat. Quod & di-
xeris de blasphemis, minisque, quas eructant, quæque latè
ubique spargunt incendiis. Tertiam hominum partem hac
peste consumtam non nimium est, si, quantum sanguinis pri-
mis Saracenorum in Syria & reliqua Asia, Africa, Ægypto,
Hispania, Italia, Sicilia, &c. bellis atque expeditionibus, inde
Christianorum Palæstinæ recuperandæ conatibus, ad extre-
mum infructuosis, Turcarum & Tattarorum in Europam im-
pressionibus fufum sit, computes. Quæ ori & caudis violen-
tiæ & fraudum significatio addita, in iisdem evidenter nota-
tur. Serpentinum venenum non prima facie ostendunt, sed
conscientiarum libertatem præ se ferentes, quibus obliquis me-
diis possunt, delectu juventutis, pollicitationibus, variisque
artibus ad suam superstitionem adducunt alios. Impœnitenti-
am tandem reliqui Orbis Christiani, qui non agnoscit judici-
um domini, sed hostem suis peccatis reddit invictum, nemo
non videt. Quid ferè in media Turcia aut vicinis orientis re-
gnis Christianismi superest, si solum demas nomen? Ignoran-
tia,

tia, idololatricus imaginum & sanctorum cultus, (Muhammedanorum scandalum miserabile,) superstitiones pudendæ, vita dissolutissima. Horret animus in memoriam revocare, quæ tradunt, qui suis rem omnem videre oculis, ut corruptiorem vix imaginari sibi quisquam possit. In occidente Pontificia Ecclesia nihilo purior. Quæ ab ea fecere secessionem varia, cum non una parte effugisse exitium sufficiat, variis contaminatæ, quæ hic arguuntur. Nec ipsi, quos solos DEUS in Evangelii purissima agnitione servavit, Augustani symboli professores omninò culpam negare possumus, qui, cum ab idololatria intemperatum cultum habeamus, variis tamen laboramus vitæ scandalis. Ob quæ, si nostris etiam cervicibus immineat manus ultrix, exclamare cogimur: *Justus es, Domine, & justa judicia tua.* Sed expleto, quem destinaveram, pagellarum modo, totam, cujus hic summas duntaxat carbone notavi lineolas, deductionem argumenti, cum Saraceno-Turcicæ historiæ periodis, fusiori exegesi, quæ DEO volente ponè sequetur, servo; ubi simul, quæ de tyrannidis illius barbaricæ fine dicta vel sperari possint, aliquo modo discutientur.

III.

ΚΑΡΠΟΦΟΡΙΑ.

FRUCTUS non colligere, sed unum alterumve digito tantum indice notare, integrum nobis est. In ipsa futurorum malorum prædictione, nec non supplicii moderamine, & impœnitentium μακροθύμω tolerantiam divina elucet misericordia. Diaboli quovis tempore ad nocendum animus paratissimus: vincula, quibus ligatus est, nisi permissione divina, postquam eam DEO optimo scelera nostra extorsere, laxentur; potestatis datæ intra certos terminos coercitio, sæva tamen acceptæ quoad licet usurpatio, ad terrorem efficaci *Φερίσει* representantur. Ostenduntur quæ suscitent, quæ alant iræ cœlestis flammæ, qui interni inter Christianos prodito-

ditores sint, qui communem patriæ hostem alliciunt, intro-
 mittunt, conatusque, qui contra illum suscipiuntur, sæpè red-
 dunt irritos: ut & hic nostris vitiis, quàm suâ virtute & poten-
 tiâ valentior sit hostis. Quæ hostis repellendi media sint, ex
 iisdem facilè colligere licet: si videlicet hunc placatum habea-
 mus, cujus voce solvendi datur ἐξῆρα, nam in eadem manu
 vincula astringendi non minor potestas est; si hostili furori non
 pergamus tela plura, quibus nos oppugnet, suppeditare: si
 contrariis, quàm ille, induti armis, panoplia invictissima Eph.
 VI. instructum pectus obvertamus. Donec alia vox, illique
 similis, quæ Esa. X, 5. seqq. Assuri exitium minitata, væ bar-
 baris occinat, iræque instrumenta, nisi gratiæ seqvaces se præ-
 beant, irâ pereant graviore. Exurgat DEUS, & dissipentur
 inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

A M E N.





